Conclusiones lunares

1, Ex parte 2da Processus iudiciarii primae instantiae de probationibus in genere depromptae a. 1750.

2, Ex praeliminaribus processus appellationis seu secundae Instantiae depromptae, 1751.

✠

IN NOMINE DOMINI AMEN.

CONCLUSIONES
LUNARES

Ex Præliminaribus Processus Appellationis, seu secundæ Instantiæ

DEPROMPTÆ.

I. INstantia est exercitatio Judicii illa, quæ fit à litis contestatione & durat usq; ad prolationem Sententiæ.

II. Hæc Instantia ratione trium conformium sententiarum est triplex: alia coram Ordinario, alia coram Metropolitano, & alia coram Nuntio Apostolico.

III. Ejusmodi Instantia adeo suum à litis contestatione incipit cursum, ut si Partes eâ non factâ, starent in Processu per centum & ampliùs annos, adhuc tamen non diceretur facta & cœpta Instantia.

IV. Quamvis de consensu Partium tam in Civilibus, quàm in criminalibus Causis Instantia abbreviari possit & valeat, prororogari nihilominus tacitè, vel expresse non potest; restaurari tamen, modò Partes unico contextu omnia Acta repetant potest.

V. Ne Instantia pereat, & ne Appellatio efficiatur deserta, fatalia tam quò ad interpositionem, quam quò ad prosecutionem Appellationis ex asse sunt servanda.

VI. Tempus, seu fatale prosecutionis Appellationis à die interpositionis ejusdem computari debet, quod est totus & integer Annus, aut ex causa biennium.

VII. Istud tempus prosecutionis, seu introductionis Appellationis, cùm sit in potestate Judicis à Quo, illud coarctare & minuere, non verò ultra legis terminum ampliare & prorogare potest; Partes nihilominùs rectè illud coarctant & prorogant.

Propugnabuntur publicè in Lectorio CC. DD. Jctorum Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Annô Domini 1751. Die 12. Mensis Januarii, horâ 10. antemeridianâ.